

1483 mas , pluribus locis per Brixensem agrum evagatus , omnia Veneto oppida citra Mellam , præter Asulam , admitt . Venetus sub hostis ad Balneolum accessum , ad Regianum quinque passuum millia ab urbe , ut opportuniore esset loco , concesserat : Alphonsus vero , cæteris in fidem receptis , ad Calcinatum castra promovit . Et hæc æstate illa usque ad principium autumni in Bergomati agro & Brixensi gesta dicuntur .

Circa Padum , Gallis magna ex parte morbo consumptis , eorum Dux , audita Lodovici Regis morte , a quo tutor regni testamento relictus esset , cum modico comitatu sub exitum æstatis in Transalpinam Galliam rediit . In mari verno anni tempore (quia rumor erat , Ferdinandum Regem a Pontifice & sociis adjutum , validam classem comparasse) Patres ut hac quoque parte hostium conatibus occurserent , Jacobo Marcello , cui maris imperium post Superantium fuerat decretum , mandant : ut diligenter det operam , ne Respublica incommodum aliquod in insulis , aut intra sinum circa Histriam Dalmatiamque ab hoste acciperet ; ac si tuto posset , Appuliæ & Calabriæ oram , quemadmodum Superantius fecerat , excursionibus infestaret . Haud quidem multo ante Marcellus in provinciam profectus erat : quum quadraginta hostium triremes biremesque , quibus Fœdericus Aragonius , Ferdinandi filius , juvenis impiger , prærerat , Anconis portum infondere . Attulit ea res ingentem Patribus curam : apparebat , ex ea statione hostem omnem maritimam oram Veneto clausurum . Totam itaque civitatem in Marcellum oculos conjectos habere : illum unum , ejus classem intueri omnes : actum de possessione maris , actum de imperio credere , nisi hostis ex tam infesto loco subito armis dejiceretur , quod sine ingenti certamine fieri posse non putabant . Tota itaque civitas in eam expectationem erecta esse : ut Marcellus , qui tum Jaderæ erat , aut subito incursu naves quæ in Anconitano portu erant , cremaret , aut hostem ad certamen compulsum , ingenti prælio profligaret . Sed dum ille properat turmas triremium ex Pado